Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De legibus disputatio - Cod. Ettenheim-Münster 336

[S.l.], [17. Jahrh.]

§ 3tia

urn:nbn:de:bsz:31-131792

Visual Library

industria, quod addo, quia qui ex improviso tantum occurrunt fiunt Spectatores duelli non incurrunt dictam excommunicationem.

§. 3.tius

de

Abortu et oppressione prolis.

Conclusio 1. Abortus est foetus ex utero ejectio. Sive deinde foetus sit animatus, sive inanimatus. Inanimatus dicitur, quando necdum illi anima rationalis infusa est, quod fit in masculis à conceptionis die fere 40. in femellis a. 60. secundum Medicos. Quam opinionem sequitur Poenitentiaria Romana, ut habet Navarrus de Homicidio Lib. quinque Consiliorum. Tutior sententia est, inquit Zachias, quod post 60. foetus pro animato habendus sit; quia fit etiam ex masculis quod tardius 40. animentur. In dubio credendum est esse marem et praesumitur esse animatus post 40. dies. Potest autem abortus ulterius tribus modis considerari: 1.o Si ante conceptum foetum ut nimirum conceptio impediatur, et semen dissolvatur, sive etiam ut mulier sterilis reddatur. 2. Post conceptum, sed ante animatum foetum,

ut sibi impediatur ejus animatio et foetus antequam animatur, aut alio dissipetur. 3. Post animatum in utero foetum. Primo et secundo modo procuratio abortus est peccatum mortale, quia impedire directe generationem vel animationem est contra naturae intentionem et finem, estque homicidium saltem privativum; quia est privatio vitae humanae in embryone quae ordinario naturae cursu inesse deberet si non impediretur. Tertio modo est formale homicidium et animarum certa damnatio saltem quoad poenam damni. Unde ex isto homicidio incurritur etiam irregularitas, non tantum ab ipso procurante, sed etiam ab omnibus illis, qui huic rei cooperaverunt, consulendo, mandando, inducendo, potionem conficiendo, illam proponendo etc. Sive sit Mater, sive Ancilla, medicus, pharmacopola etc. Si tamen abortus actu ipso sequatur; non reservatur autem exterior in effectu. Et quamvis Sixtus V. in Bulla, quae incipit: Effrenatam: data Anno 1588. 4. Calendas Decembris Pontificatus anno 4. declaraverit omnes, qui permissionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri praegnanti impositis, vel aliis modis abortum seu foetus immaturi, animati, sive inanimati, formati, vel

informis ejectione procuraverit, vel venena aut po-
tiones, ne mulieres concipiant per se vel per alium
propinaverint, vel consilium praestiterint, praeter poenas
Juris tam Civilis quam Canonici quovis modo latas,
quas innovat et auget, excommunicationis latae sententiae
poenam hoc ipso incurrere, quam Sacrae Sedi Apostolicae
immediate reservavit, praeterquam in mortis
articulo derogando omnibus privilegiis in contrarium
facientibus etiam per Jubilaeum gestis. Clericis vero
abortum procurantibus imponit privationem ipsius
omnis ordinis Clericalis, beneficii, dignitatis, nec
degradatione et traditione in manus potestatis se-
cularis. Per Gregorium XIV. tamen ejus Successo-
rem in Bulla, quae incipit: Sedes Apostolica: data
1591. hic rigor in aliquibus est moderatus. 1.
Quod quilibet Sacerdos ab ordinario approbatus
et ad hoc specialiter deputatus, possit absolvere a
peccato abortus, et ab excommunicatione ibi imposita.
2. Quod si foetus non fuit animatus, vel si solum sit
datum poculum, vel remedium ad non concipiendum
sterilitatemque causandam, non incurrantur poenae sta-
tutae a Sixto V. sed reguletur delictum per Jus
Canonicum vel Concil. Trid. Quoad alia tamen manet

Bulla Sixti in suo vigore.

Conclo 2. Oppressio prolis est species homicidij, qua quis propriam prolem suffocat, l. qualiumque modo interimit. Si fiat casualr dando opera rei licitæ et sufficiens adhibeatur diligentia ne oppressio sequatur, non est peccatum, quia non est voluntarium et adhibita fuit sufficiens diligentia. Si fuit negligentia mortalis l. venialis, erit peccatum mortale l. veniale. Si v. fiat dando opera rei illicitæ sive sit adhibita diligentia, sive non, erit peccatum tale, quale est peccatum vacare rei illicitæ, si mortale oppressio erit mortalis, si veniale, venialis. Licet in aliquibus Dioecesibus non male reservetur oppressio prolis etiam ignoranter facta, quia ignorantia illa est saepe culpabilis mortalis. Sed hæc de præcepto 5o. sufficiant, quæ ad obligationem restituendi ex homicidio contracta pertinent, dabimus in præcepto 7timo Nunc sit

Sectio 6.

Præceptum Decalogi Septimum:

Non Machaberis.

Machia proprie et in rigore significat concubitum coniugati cum coniugata vel soluta;